



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

86. An Aduocatus qui reum defendit incurrat irregularitatem, si sequatur
mors accusatoris? Ex p. 4. tract. 2. r. 34.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

gularitatem, quæ etiam excusat, quamvis non fiat simul cum ipsa accusatione, sed postea coram iudice ante prolationem sententiæ, & non solum quando accusat, sed etiam quando reum detinet & iudici tradit.

4. Nota etiam à fortiori Clericum consulentem alteri ut accuset in casu permissio cum protestatione, non incurrit irregularitatem, quia sicut accusans in præfato casu non incurrit irregularitatem cum protestatione, ita neque consulens. Sic Paulus Comitulus in *resp. mor. lib. 6. q. 59. Filiucius tom. 1. tr. 19. cap. 9. n. 148. & alij.*

RESOL. LXXXIV.

An ferens testimonium in favorem Rei incurrat irregularitatem, si ob id sequatur mors accusatoris?
Et quid est dicendum, si talis sit Clericus, an in favorem Rei potest testari de licentia Episcopi, vel ejus Vicarij?
Ex p. 4. tr. 2. Ref. 96.

§. 1. **N**egativè respondeo, quia mors accusatoris respectu testis censetur ferri per accidens ex ipsius testificatione: nam ipsius dictum per se & ex natura sua ordinatur ad manifestandam rei innocentiam, & ad illius defensionem; & ad incurrendam hanc irregularitatem, ut alibi dicemus, opus est ut ad sit causa proxima ad mortem, & ut dictum, vel factum ex sui natura sit ad illam directum. Et ita hanc sententiam tenet Sayrus de *conf. lib. 6. cap. 8. num. 11. Suarez disp. 47. sect. 4. num. 9. Filiucius tom. 2. tr. 19. cap. 9. num. 27. Vgolinius de irregular. cap. 7. num. 7. & alij*, quod procedit etiam si testis sit Clericus, qui in favorem rei potest testari de licentia Episcopi, vel ejus Vicarij, nam Clericum ferre testimonium in favorem rei, nullo jure prohibetur.

RESOL. LXXXV.

An testis præcepto iudicis obligatus, vel gravi metu coactus, & in casibus, quibus iure naturali tenetur testificari, incurrat irregularitatem, si mors alterius sequatur? Ex part. 4. tr. 2. Ref. 31.

§. 1. **N**egativè quoad duos primos casus respondet Coninch de *Sacram. disput. 18. dub. 10. num. 56. ubi sic ait*, Dubium est inter Doctores, utrum qui obligatus præcepto iudicis agentis merè criminaliter contra reum, aut gravi metu coactus, ferat testimonium, ex quo sequitur alterius mors, fiat irregularis: Multi affirmant, sed non probant; quare quidam viri docti putant contrarium verius esse, saltem quando testis aperit protestatur se hoc invitum facere, nec alterius mortem petere. Primò, quia hic directè tantum seipsum tueretur à damno corporis, vel animæ, quo casu ne quidem sit irregularis alium occidens sua manu. Secundò, quia hæc irregularitas debet incurri ob defectum lenitatis (gratis enim fingitur omnis alia indecentia); sed hic nullus est defectus lenitatis, quia hic solum reperitur in involuntariè occidente, sicut faciunt ministri iustitiæ, qui spontè talia officia retinent, quæ eos quandoque ad occisionem obligant; hic autem omnino involuntariè ad alterius mortem concurrat. Ita ille. Quando verò testes tenentur ferre testimonium iure naturali, non incurrit irregularitatem præmissa protestatione, tenet ex Henriquez Avila de *conf. part. 7. disput. 5. sect. 2. dub. 12. conclus. 2.* Nam jus concedens hoc privilegium Clerico accusatori, censetur conse-

quenter concessisse testi in hoc casu, ne privilegium reddatur inutile. Exemplum est, ut quando tenetur testificari ad liberandum à morte injustè accusatum, vel quando tenetur testificari ne ille qui iuste accusari machinantem contra Rempublicam deficiens in probatione puniatur pœna talionis.

2. Verùm adversus has sententias insurgit, novissimè doctus Hurtado *disput. 2. de irregular. diff. 1. 1. n. 40. ubi sic ait*. Id quod ait Coninch nempe testem præcepto iudicis obligatum, aut gravi metu coactum, ad testificandum non fieri irregularem; falsum est, quia absque fundamento sufficiente excipitur testis ab irregularitate, & etiam in aliis in quibus iure naturali tenetur, (quicquid in his dicat Avila) quia quamvis in omnibus prædictis casibus non reperitur in teste defectus lenitatis formaliter, quia id efficit obligatus & coactus, reperitur tamen defectus lenitatis materialiter, & indecentia ob rigorem per se & ex objecto in cooperatione ad mortem, intuitu cuius indecentiæ lata est dicta irregularitas; sicut etiam fieret irregularis iudex sua sententia interficiens, aut mutilans, quamvis obligatus & coactus assumeret officium, & ferret sententiam. Ita Hurtado. Satis quidem probabiliter, & hanc sententiam ego teneo, & tenet etiam Villalobos *tom. 1. tr. 21. d. 27. num. 1. Filiucius tom. 2. tr. 19. cap. 9. num. 254. Fabrus de sacram. ordin. in 4. sentent. disputat. 25. quest. 1. disputat. 3. num. 211. & alij*. Sed adversus Hurtadam, sententiam negativam Coninch, & Avilæ, quam ipse falsam vocat, potè probabilem esse cum Præpos. in 3. part. quest. 5. de irregular. dub. 13. num. 105. sic asserente. Testis in causa sanguinis sit irregularis, nec ei prodest protestatio ad evitandam irregularitatem. Aliqui probabiliter censent eum non fieri irregularem, quando obligatur vel iure naturæ, vel iusto iudicis præcepto ad testimonium ferendum, & multo potiori ratione, quando ad id gravi metu obligatur; cum eo casu non censetur voluntariè ad mortem concurrere, sed quadam necessitate antecedente voluntatem, qua ratione distinguitur à iudice & aliis, qui libere suscipiendū officium ex consequenti censetur se obligare ad pœnam sanguinis interdum infligendam. Hæc Præpos. ubi supra. Et post hæc scripta invengi supradictam sententiam negativam, quam, ut dixi, non bene falsam vocat Hurtado, docere etiam Mercerum de *Sacram. 3. part. D. Thomæ q. 24. dub. 8. resp. 3. Petrum Cornejo in 3. part. D. Thomæ tractat. 5. de irregular. disputat. 11. dub. 1. quest. 7.* Est igitur opinio satis probabilis, licet ego, ut dixi, affirmativam sententiam teneam.

RESOL. LXXXVI.

An Advocatus, qui Reum defendit, incurrat irregularitatem, si sequatur mors accusatoris? Ex part. 4. tract. 2. Ref. 34.

§. 1. **A**d hoc dubium ex Vasquez Turrianus de *conf. lib. 9. disput. 66. dub. 3.* respondet negativè, nisi Advocatus Rei postulet pœnam talionis contra accusatorem, secus si solum defendat Reum suum, & ex accidenti sequatur pœna mortis accusatoris, & Præpos. in 3. part. quest. 5. de irregular. dub. 13. num. 104. ita asserit. Advocatum patrocinantem Reo non fieri irregularem si accusator deficiens in probationibus morte puniatur, dummodo in progressu non censetur eum impetere crimina obijciendo, nisi id sit necessarium ad defensionem Rei graviter alioquin periclitantis, nam verisimile est Advocatum Rei eo casu obijcientem accusatori crimen,

X 3 non

Sup. hoc in
Ref. 1. not.
præterea in
casu pœnci-
pio.

non fieri irregularem si præmittat protestationem.
Ita ille.

RESOL. LXXXVII.

An Advocatus, & testes in causa sanguinis incriminandi irregularitatem, si præmittant protestationem eo modo, quo facit accusator? Ex part. 4. tractatu 2. Resoluit. 32.

S. Vpono Clericos & laicos in causa criminali accusando cum protestatione non incurtere irregularitatem, si hoc faciant petendo satisfactionem pro injuria sibi, vel suis rebus illata, vel parentibus. Hoc supposito affirmativè ad casum nostrum respondeo cum Villalobos in summ. tom. 1. tract. 2. diff. 27. Nota etiam, num. 1. ubi sic ait [Aunque en el derecho ay exception en el que acusa si haze la protesta no quedando por esto irregular, no lo ay en el testigo y assi la protesta no le excusa la irregularidad.] Idem docet Petrus Cornejo in 3. part. D. Thom. tract. 5. de irregul. 1.1. dub. 1. quæst. 6. Reginaldus tom. 2. lib. 30. tractat. 2. cap. 11. num. 133. Vgolinus de irregul. cap. 6. §. 9. num. 3. Layman sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 7. num. 5. Molina tom. 4. tract. 3. disp. 4. num. 10. Henriquez lib. 1.4. cap. 12. n. 9. Turrianus de cens. lib. 9. disp. 66. dub. 3. & ratio est, quia dicta facultas protestationis solum conceditur in jure accusatori, ergo non potest extendi ad testes & Advocatos.

2. Verùm non desinam hic adnotare opinionem Ioannis Præpositi in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 13. num. 104. Vbi sic asserit. Adverte primò quo casu protestatio potest excusare accusatorem ab irregularitate, eodem posse excusare Advocatum illi necessarium; nisi enim ejus Advocatus eodem privilegio uti posset, sæpe redderetur inutilis facultas accusandi sine periculo irregularitatis. Idem dicendum est de teste illi necessario. Sic ille.

3. Et ita hanc sententiam ante Præpos. docuit Corninch de Sacram. disp. 18. dub. 10. num. 93. putat enim in casu quo accusator cum protestatione non incurrit irregularitatem, non etiam incurrit Advocatum & testem, quia in his, ait ille, est eadem ratio, cui enim conceditur aliquid, censetur etiam concedi ea omnia quæ ad hoc necessaria sunt, ne concessio sit inutilis; sed cum accusatori concessum sit privilegium accusandi in aliquibus casibus sine metu irregularitatis, præcedente protestatione, hoc autem privilegium videretur inutile, si testis non posset absque irregularitate cum protestatione testari, nam timore tantæ pœnæ retraheretur à testando, & consequenter accusator nihil probare posset, & nihil obtineret, ejusque privilegium vanum & inutile redderetur, ergo, &c. & idem dicendum est de Advocato, & hanc opinionem tanquam probabilem admittit Ioan. de la Cruz in director. part. 2. de irregul. dub. 6. conclusio. 5. ubi sic ait. Probabile est non fieri irregularem qui in faorem alterius, & maxime Reipublicæ, accusat, testificatur, aut patrocinatur in causa sanguinis cum protestatione. Ita ille.

RESOL. LXXXVIII.

Dubia circa quandam irregularitatem.

Et quæritur, quod in casu proposito in textu hujus Resolvens irregularitatem ex defectu lenitatis, an possit Episcopus, vel Confessorius Regularis privilegiatus in ea dispensare?

Et si Episcopus, & Confessorius Regularis nolens opinio-

nem affirmativam ad praxim deducere, possit consulens ad Sacram Penitentiarum confingere pro dispensatione. Ex part. 1. tr. 2. & Misc. 2. Ref. 63.

S. Circa casum, de quo interrogatus fui more spondeo: Actiones Domini Consulens non fuisse factas tanquam à Ministro Iustitiæ: Ergo non poterunt inducere irregularitatem ex defectu lenitatis. Probo sit in jure expressa, ut est rexius clarus in cap. 15. qui de sent. excom. in 6. Sed jura, quæ imponunt irregularitatem ex defectu lenitatis tantum loquuntur de illis, quæ concurrunt ad mortem tanquam Ministri Iustitiæ, ut patet discurrendo per omnes textus juris Canonici. Ergo. Et ita hanc sententiam ex Valquez, Turriano, & Hurtado olim docui, quam postea omnes scriptores amplexi sunt. Et ita docet me citato Eminentissimus Cardinalis Lugo de Penitent. disp. 22. sect. 2. num. 33. & me citato Patet Magister Lezana in summ. tom. 1. com. 1. sect. 48. num. 76. & me citato Bassæus in Flor. Theol. log. moral. verbo irregularitas 5. num. 3. & me citato Baunius in Theolog. moral. tom. 2. tract. 11. de irregul. quæst. 23. & me citato Celestinus in Compend. Theol. log. moral. tract. 4. cap. 5. quæst. 5. & me citato Machadus de Perfect. Confess. tom. 1. l. 1. part. 3. tract. 18. de conf. cum 5. num. 5. & me citato Serra tom. 2. in 1.2. Dico 8. Thomæ, quæst. 64. art. 8. & me citato Ciallinus controvers. forens. tom. 2. contro. 203. num. 27. & me citato Antonellus de Regimin. Eccles. Episcop. tom. 2. lib. 2. c. 8. num. 8. & me citato Vericelli in quæstionib. moral. tract. 1. quæst. 19. num. 2. & me citato Ioannes Pontius in Cursu Theol. disput. 46. quæst. 15. conclus. 5. num. 57. & me citato Brunus de Privileg. Regular. part. 1. tract. 5. cap. 4. proposit. 3. & me citato Constantius à Castro in collect. Theol. moral. tract. 4. sect. 1. cap. 4. & me citato Guazinus in tractat. moral. lib. 2. de fess. 6. cap. 45. numer. 60. & me citato Bricchius in Prompt. Confess. part. 5. cap. 5. de Irregular. & me citato Palqualigus in quæstionib. Canon. cent. 4. quæst. 327. num. 1. & quæst. 395. num. 4. & me citato Baucius in Miscellan. cas. consens. como 2. opusc. 1. quæst. 193. & me citato Carolus Zambellus Auditor. decis. Bononiæ, anno 1641. Mensis Aprilis cas. 2. & novissimè me citato Dicastillus de Sacrament. tom. 2. tract. 8. disp. 10. dub. 28. num. 547. Idem etiam docet Calpenfis in Conf. Theol. tom. 2. tract. 25. sect. 13. num. 86 & 91. Elcobat in Theol. log. moral. tract. 4. exam. 6. cap. 5. num. 138. Zambellus in Repert. Moral. verb. Irregularitas numer. 57. Castus Palaus tom. 6. tractat. 29. disputat. 6. punct. 14. §. 3. num. 7. Valentia tom. 3. disputat. 3. quæst. 16. punct. 4. §. Sed contraria sententia, & §. Porro non est. Pellizzarius in man. Regular. tom. 2. tract. 7. cap. 5. sect. 4. num. 173. Martinon. tom. 5. disputat. 62. quæst. 6. num. 63. Remigius in Pract. Confess. 6. cap. 5. §. 1. num. 3. Hos omnes Doctores in fonte vidi, & plures ex ipsis in meis operibus sparsim adduxi, sed nunc plures alios addidi, & in vnum congesti, ut facilius inveniri possint. Itaque hanc sententiam tenent triginta Doctores. Vnde ex his apparet illam esse satis probabilem, ne dicam certam, quod nemo, nisi Bardus negabit.

2. Nec obstat dicere, supradictam opinionem non posse in casu nostro applicari, in quo Dominus Consulens, omnia quæ advocati exercere solent, exercuit. Ipse enim direxit causam, consuluit, reapta vir scripturam factam à fisco, &c. Respondeo hæc non officere, quia facta sunt à Domino Consulente extrajudicialiter, & tanquam persona privata, nec ullam scripturam nomine proprio subscripsit, nec ullam Advocati manus in judicio exercuit. Ergo, &c.

3. Sed